



D me revolvitur WINCKLERIANÆ

Parentationis officium, cui quartâ nunc vice satisfacien- dum est. Et libentissimè vero dicendi hoc munus in me recipio, quod ipsum hoc tempus aliquam præteritæ juventutis recordationem mihi subministrat. Trigesi- mus enim nunc absolvitur annus, ex quo, Gymnasii non ingratus alumnus, cathedram conscendi Patriæ, Patronis, Præceptoribus, in discessu ad ACADEMIAM LIPSIENSEM, pietatis & observantiæ documenta relicturus. Elegerat tum B. Parens meus, ad quem studio- rum meorum præcipua pertinebat directio, Valedictionis argumentum, non externâ specie turgidum, aut novitatis opinione curiosum, sed usu potius & insigni fructu commendatum, suisq; votis & appreciationibus convenientissimum. Dicebam enim de PIETATE, cujus si nomen qui- buslibet vanitatum cultoribus vix habetur magnificum; promissio tamen & felicitas tum ad omnes homines, tum ad eos præcipuè spectat, qui literarum studia, cum his autem accuratiorem DEI cultum, indagare sta- tuerunt. Quid eo tempore præstiterit juvenilis mea præcocitas, tanto minus alii meminerint, quo pauciores superesse video, qui vel hono- ratisimorum Hospitum, vel dilectissimorum commilitonum, eo tempore, subsellia presserunt.

Interim qui tot annorum felici decursu admonitus intelligo, tan- tum rebus meis successum vix adspiraturum fuisse, nisi benè precantium & ominantium pietas ad ipsum hunc salutis & prosperitatis fontem me deduxisset: nec melius observare potero B. WINCKLERI volunta- tem, qui sermonibus nostris juvenum adjuvari profectus jussit; nec pri- stini temporis piam recordationem prosequar hilarius, quam si, revocato sub incudem pristino themate, PIETATEM, annis abhinc triginta lauda- tam, isto temporis intervallo mihi nunquam inutilem, Juvenibus quoq; meæ curæ commissis futuram unicè salutarem, non florido verborum & formularum apparatu, sed rerum ac sententiarum pondere potius de- scribendam & commendandam suscepero. Et